

(Correlarium quartum)

Ex eodem asserit, quod illa, que sunt aliis hominibus peccata, non essent sibi peccata, si faceret eadem^{a)} ex instinctu interioris sui hominis et sui spiritus procedere.

(Tercia^{b)} materia de Christo)

Primo tenet, quod Christi humanitas non est adoranda ab omnibus christianis, licet deitati^{c)} unita. Racio eius est, quia^{d)} distinguit duplicem hominum statum: aliqui sunt, qui adhuc subsunt sancte ecclesie, et illi tenentur adorare Christum secundum eius humanitatem propter preceptum ecclesie, cui obedire tenentur; alia pars hominum est sub statu spiritus, sicut ipse est, et illi non^{e)} tenentur adorare illam humanitatem, sed solum deum^{f)} in nuda deitate.

(Correlarium primum)

Secundo quod^{g)} ex eodem fundamento ipse in XVI^{h)} annis non adoravit humanitatem Christi nec suam passionem veneratus est, quiaⁱ⁾ postergavit toto illo tempore omnem oracionem et omne^{k)} christianitatis exercitium.

(Correlarium secundum)

Tercio addidit, quod toto illo tempore non solum^{l)} non adoravit Christi humanitatem, sed^{m)} nec eius deitatem, prout est in sacramento.

Quarto creditⁿ⁾, quod ipse propter unionem, qua cum deo unitus est^{o)}, sit sanctior Christo ea sanctitate, qua Christus sanctus est secundum humanitatem. Racio, quia ipse factus est deus per gratiam, ille^{p)} est deus per naturam; et Christus est minor patre secundum eius humanitatem^{q)}, igitur ipse est^{r)} maior et sanctior Christo secundum eius humanitatem.

Quinto quod^{s)} mors Christi non est hominis regeneratio, sed hec regeneratio est ipse spiritus sanctus, quia regeneratio in vitam eternam non sit facta per mortem Christi, sed^{t)} per spiritum sanctum, qui venturus est in mundum. Subdit, quod per mortem Christi oportet nos salvari, sed illa non est ipsa regeneratio ad salutem ut supra^{u)}.

a) ex eodem inst. K b) Quarta R c) deitate R d) quod R
e) non *fehlt* K f) *folgt* sine medio R g) quod *fehlt* R h) 13 R
i) quod R k) et omne *fehlt* R l) non solum *fehlt* R m) sicut R
n) credidit R o) qua unitus est omni deo R p) *folgt* qui K q) sec.
humanitatem naturam K r) sit R s) quod *fehlt* R t) sed ... sanctum
fehlt R u) sal. et cetera ut supra dictum est R.